



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulus VI. An suppositâ efficaci intentione finis voluntas necessitetur ad
electionem medii unicè necessarii ad consequendum finem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

§. II.

Solvuntur Objectiones.

4. **O**bjicies primò. Ex dictis sequitur, quòd voluntas non posset pro libitu alterutrum eligere ex duobus bonis, vel mediis: sed hoc est absurdum, cum nullibi magis, quam in actu electionis relucere debeat libertas voluntatis. Sequela probatur: Quodcumque voluntas instituit electionem inter plura media, tunc illa vel representantur aequalia, vel inaequalia: si aequalia, tunc neutrum ex iis potest eligere: si inaequalia, tunc non potest eligere nisi quòd melius est: ergo nunquam poterit voluntas pro suo libitu se ad aliquod medium eligendum determinare.

Resp. neg. sequelam, & ad probationem dist. illatum: ergo voluntas nunquam potest pro suo libitu se determinare ad aliquod medium eligendum, independenter à iudicio practico, concedo; dependenter ab illo, nego.

5. Dices: Suppositio antecedens infert necessitatem: sed suppositio iudicii practici antecedit actum electionis: ergo non relinquit locum libertati. Resp. Suppositio antecedens omnem determinationem humanæ voluntatis vel formalem vel causalem, infert necessitatem, concedo: suppositio tantum aliquam determinationem antecedens, nego. [tunc enim est absolute suppositio consequens] sed suppositio iudicii practici antecedit actum electionis, ut tamen dependeat à libera applicatione voluntatis, concedo; ut non dependeat, nego min. & consequentiam.

6. Instabis: Illa applicatio, quæ voluntas intellectum applicaret ad ferendum iudicium practicum de bonitate mediorum, proveniret ex efficacia præcedentis intentionis: sed inde non provenit; quia intentio præcedens potest determinare voluntatem non tantum ad amplectendum medium utilissimum, sed etiam ad quodcumque medium utile & sufficiens pro consequendo fine: ergo efficacia intentionis per iudicii practici applicationem non determinat voluntatem ad melius medium eligendum.

Resp. negando min., & antecedens probationis distinguendo: si intentio determinet voluntatem ad electionem late sumptam, prout idem est cum consensu, concedo; ad electionem strictè sumptam, pro acceptance nimirum unius me-

dij pro alio, sic nego antecedens. Et eodem modo dist. consequ. neg. consequentiam. Ratio est: quòd priori modo ex vi intentionis non præcedit electionem formalis consultatio & comparatio unius medii cum altero; ideoque voluntas quaecumque medium utile amplecti potest. Posteriori autem modo ex vi ipsius intentionis sequitur consultatio comparativa unius medii cum altero: Unde si ex illa consultatio intellectus practice inferat, unum medium esse alteri præferendum, eo ipso vi præviæ intentionis voluntas determinatur ad eligendum utilius medium, quamdiu illud medium manet invariatum, quòd tamen accedente novâ applicatione voluntatis & inquisitione rationis variari, ad eòque electionis mutari poterit.

Instabis secundò: Sequitur ex nostra sententia, quòd sicut famelico duo panes proponerentur, ejusdem planè bonitatis, tunc voluntas debet manere suspensa, & ipse non obstante famis importunitate neutrum panem posset eligere, quòd sanè ridiculum est.

Resp. negando sequ. nam tunc famis impetus inutilis deliberationis moram præcideret, ad eòque voluntas relicta comparativa electione ad proximum quemcumque panem arripendum se determinaret, vel certè exercitium ipsius libertatis ex parte motivi conjunctum cum bonitate unius panis illum faceret eligibilem præ altero.

Instabis tertio: Divina voluntas de facto eligit media minus bona relicta melioribus; ergo hoc etiam potest voluntas & libertas creata, quam participatio illius. Antecedens probatur: quia DEUS ad suam gloriam hunc mundum condidit, cum potuisset alios plures & perfectiores condere in infinitum; mediis quoque ac modis inaequalibus producit homines in finem salutis aeternæ, cum sciat & videat potuisse melioribus ac perfectioribus viis ad eundem finem produci.

Resp. dist. antecedens: eligit media minus bona materialiter ex parte rei voluta, concedo: [sic enim una creatura est & potest esse altera in entitate præstantior;] minus bona formaliter, & ex parte motivi volendi, quòd est ipsi sua bonitas, suarumque divinarum perfectionum ostensio, sic nego: omnia quippe à DEO facta & ordinata prout substant divinæ bonitatis motivo, non possunt non esse optima.

ARTICULUS VI.

An supposita efficaci intentione finis voluntas necessitatur ad electionem medii unice necessarii ad consequendum finem?

SUMMARI A.

§. I.

Resolutio negativa.

TRia supponuntur in statu questionis: primò, quòd adfit & continetur efficax intentio finis consequendi. Secundò, quòd electio accipiatur late, non autem strictè pro acceptance unius medii præ alio. Tertio, quòd adfit iudicium

1. Status questionis.
2. Resolutio negativa.
3. Voluntas etiam necessitatur ad exercitium electionis medii unice necessarii ad finem efficaciter intentum.
4. Que necessitas non obstat libertati meritoria.
5. Conditionate potest voluntas necessitari à bono limitari.

dicium practicum, quo dicitur hoc unicum medium dari ad consequendum finem intentum. Quibus suppositis queritur, an voluntas necessario debeat amplecti ejusmodi medium, vel an illa efficaci intentione non obstante medium possit respicere.

CONCLUSIO. Stante efficaci intentione finis voluntas necessatur ad amplectendum illud medium, quod hic & nunc videtur unice necessarium ad obtinendum finem. Ita colligitur ex S. D. hic q. 13, a. 4. Et in 1. p. q. 19, a. 3, ubi dicit, quod ea que sunt ad finem, non ex necessitate volumus, nisi talia sint, sine quibus finis haberi non possit, sicut necessario volumus cibum, volentes conservationem vite.

Ratio est primò. Voluntas non potest efficaciter velle objectum quod cognoscitur & judicatur impossibile: sed obtinere finem sine medio unice necessario, e. g. conservare vitam sine cibo, die festivo audire Sacrum, non accedendo Ecclesiam, est objectum impossibile cognitum ut tale: ergo voluntas finem sine medio unice necessario non potest efficaciter intendere & appetere.

Secundò. Talis voluntas esset & non esset efficax. Esset ex suppositione: non esset, quia efficaciter intendere finem, est illum intendere quantum per media obtinendum: uti econtra inefficaciter velle, est complacenciam habere in fine, & nolle media ad illum obtinendum necessaria.

Tertiò. Voluntas non potest abjicere illud objectum, in quo intellectus nullam invenit rationem mali: sed in medio unice necessario nullam invenit rationem mali, sed potius boni; siquidem medii bonitas est ipsius conducibilitas

ad obtinendum finem; sed in medio unice necessario reperitur ad aequata voluntas & conducibilitas: ergo.

Colliges ex dictis primò: Ex suppositione, 3. quòd voluntas efficaciter determinetur ab intentione finis ad actualem executionem ipsius, eandem voluntatem necessitari ad eligendum medium unice necessarium, non tantum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium: quia, cum executio incipiat à positione mediorum, esset omnino impossibile, ut voluntas procederet ad executionem, nisi prius in intentione medium, sine quo illa haberi nequit, actu elegeret.

Colliges secundò. Prædictam necessitatem 4. non obstat electionis libertati ad rationem meriti vel demeriti requisitæ; quia necessitas ex suppositione efficaci intentionis ab ipsa voluntate liberè positæ, non est antecedens; sed consequens, utpote procedens ex ipsa libertate voluntatis: sed hæc necessitas est talis: ergo. Unde si voluntas impediret intentionem finis, ut potest, etiam posset electionem medii impedire.

Dices: Voluntas à nullo bono limitatò necessitari potest: sed illud medium unice necessarium est tantummodo bonum limitatum: ergo voluntas ab illo necessitari non potest.

Resp. dist. maj. Voluntas à bono creato necessitari non potest necessitate absoluta & antecedente, concedo; necessitate conditionali & consequente, nego maj. & pariter distincto consequente, nego consequ. Absolutè enim necessitari voluntas nequit à bono limitato, quia istud non adæquat voluntatis capacitatem: potest tamen necessitari ex suppositione, quia quandoque habet necessariam connexionem cum alio bono à voluntate efficaciter, liberè tamen intento.

ARTICULUS VII.

De actu imperii.

SUMMARIUM.

1. *Actio & motio imperii.*
2. *Actus imperii probatur auctoritate.*
3. *Eratione.*
4. *Subsequitur electionem.*
5. *Et distinguitur à judicio precedente actum electionis.*
6. *Definitio imperii.*
7. *Subjicitur in intellectu practico.*
8. *Estq; efficax.*

§. I.

Existencia imperii.

Imperium aliquando latius accipitur pro impulsu habitus alicujus seu virtutis, aliarum inferiorum virtutum & habituum actus referentis in suum proprium finem: quâ ratione charitas dicitur imperare actus aliarum virtutum. Strictiori sensu accipitur à S. D. hic q. 17, a. 1, & a. 3, ad 1. pro actu intellectus, quo voluntati intimatur operis executio: De cujus existencia sit conclusio prima. Datur actus imperii consequens electionem & determinans voluntatem ad applicationem potentiarum. Ita S. D. loc. cit.

Prima pars probatur primò auctoritate. Nam, D. Aug. l. 8. confess. c. 9. *Imperat, inquit, animus, & movetur manus, & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium.* Et Philo- phus 1. Eth. c. ult. *appetit, inquit, obedit rationi: ergo rationis est imperare.* Ex quo

Probatur secundò ratione. Actus potentia 3. imperantis est imperium; sed ratio imperat hoc ipso quòd alia potentia secundum supra dicta ipsi obediant: ergo ratio habet actum imperii.

Confirmatur. Datur imperium politicum & regale in Superiore ad gubernandos subditos: ergo etiam datur in ratione imperium monasticum quo regat & gubernet potentias sibi subditas. Consequentia probatur: Sicut in principe datur prudentia politica, ad hoc ut subditos dirigat in bonum commune; Sic datur in homine prudentia monastica, ad hoc ut dirigantur inferiores potentia in bonum particulare: ergo sicuti actus prudentia politica in principe est imperare politicè, ita actus prudentia monastica est imperare monasticè.

Secunda pars probatur primò: quia actus qui 4. pertinet